

totus in ecclesia, * totus in carne. De ipso quodam in loco Scriptura dicebat *fraternus meus candidus et rubeus*,¹ *candidus* quia Verbum est Dei, *rubeus* quia partus est virginis. *734

Ergo hodie parvulus et humilis ingressus est mundum, et hodie quidem secundum hominem homo natus est ex virgine, sed «ante omnia saecula genitus ex patre», qui matrem corpore, virtute referat patrem, unigenitus in terra unigenitus in caelo, Deus ex Deo, partus ex virgine.

BACHIARIUS Monachus (saec. IV-V)

EPISTOLA AD S. MARCELLAM VIDUAM

- 1392** [...] Huius ergo mysterii sacramentum in decimo mense, hoc est, trecentesimo dierum numero scimus esse completum; ubi nobis parturientis sanctae Mariae gemitus imitandi sunt, ut velut intra occultam vulvam uteri, sic intra secretam monasterii cellulam aliquid formetur in nobis, quod proficiat ad salutem, et in decimo mense novum opus ex fructibus nostris, quod mundus miretur, appareat. Si enim illa incorrupta et sancta Maria non sine gemitibus ac suspiriis spem suae salutis effundit, qualiter nobis aestimas laborandum, quos serpentis decepere consilia, ut aliquid tale valeamus imitari? Sed forsitan dicas: Cur me vanae spei pollicitatione frustraris? Solis Christum parere virginibus licet. Nolo enim gratiam Dei intra unius personae angustias claudas. Aspice enim ubi apostolus peccatoribus et praevaricatoribus dicit: *Donec Christus formetur in vobis.*² Sed memento quia sancta Maria, cum hoc opus exercuit, valde secretum locum ac solitarium requisivit: nullus ei minister, nullus comes fuisse describitur; sed et <si> beatus Ioseph contubernium praestaret officii, tamen inter parturientis gemitus quid nisi abfuisse credatur? Exhinc autem metire, quam secretum et quietum locum debet eligere, qui Christum desiderat parere, cum etiam ille, qui adventus illius prae-dicator est, non nisi in heremo haec adnuntiasse dicatur.

PROFESSIONE FIDEI (383/384)³

- 1393** [...] Filium quoque credimus in novissimis diebus natum esse de Virgine et Spiritu sancto, carnem naturae humanae et animam suscepisse. In qua carne et passum et sepultum, resurrexisse a mortuis PL 20, 102s

¹ Cant. V, 10.

² Gal. IV, 19.

³ Multi viri docti negant hanc professionem Bachiarii esse, alii affirmant.

● PLS I, 733, 734.

*1029 eredimus et fatemur: et in eadem ipsa carne in qua iaeuit in sepulcro, post resurrectionem ascendisse in coelum, unde venturum exspectamus ad iudicium vivorum et mortuorum: * Virginem quoque de qua natum scimus, et virginem ante partum, et virginem post partum, ne consortes Elvidiani erroris habeamur.

RUFINUS Syrus (saec. IV-V)

LIBER DE FIDE¹

^{PL 21, 1146} XLIII. Factus igitur homo unigenitus Deus Verbum, ex Maria ¹³⁹⁴ quidem semper virgine corpus accipiens, animam rationabilem sibi creando, eius substantiae cuius nostra est, ex ipsa semper Virgine nascitur homo sicuti Isaias prophetando dixit, *Ecce Virgo in utero accipiet et pariet filium.*² Semper autem Virginem dixit sanctam Mariam, quoniam sicut virgo concepit, sic etiam virgo permanens peperit. Nam quomodo signum quod datum est a Deo Achaz verum erit? Si igitur non permaneret virgo post partum, et quod virgo concepit, minime credendum est. Quid enim dicit Evangelista de Ioseph? *Et non cognovit eam donec peperit filium suum,*³ id est, non noverat certius quod ipsa erat Virgo, quae Christum paritura praedicta est, nisi post partus editionem documenta * virginitatis eius manere agnoverisset intacta. Necnon etiam ex consequentibus et adnunciis Christi signis, Angelis, stella, Simeone, Anna vel Magis, admonitione quoque Angeli, qui ad ipsum locutus est hoc modo, *Surge, accipe puerum et matrem eius.*⁴ Non dixit uxorem tuam, ut scire posset quod Christi caussa Virgini Mariae datus fuerat ut minister. Unde Dominus signum virginitatis confirmare volens, post resurrectionem a mortuis, clausis ad Apostolos ingressus est ostiis, ostendens se ossa et carnem habentem.

A[P]PONIUS (saec. V)

IN CANTICUM CANTICORUM (405/415)

^{PLS I, 850} Lib. III. [...] Tria igitur in se delectabilia et nimis oculis grata, ¹³⁹⁵ lili natura continere probatur, idest candorem, odorem, [et quaeque adusta ignis medicina]. Quae tria admiranda simili ratione in

¹ Viri docti iudicant Rufinum, auctorem huius libri, esse *Rufinum natione Syrum* (cf. PLS I, 1098).

² Isa. VII, 14.

³ Matth. I, 25.

⁴ Matth. II, 13.

● PLS I, 1036, 1037, 1040.